quae V. R.ma in nos studium non solum exi-
mijs literis, quae nobis gratissimae fuerunt, sed ex op-
portunis etiam officiis, quae nobis in loco ac tem-
pore, ubi dignitatis nostrae habenda est ratio, bene-
vole praestat, perspicimus. Quod vero in gravissima
nuper de novo Pontifice eligendo consultatione omni
cura ac sollicitudine in id sibi incumbendum duxerit,
ut talis eligeretur, qui dignitate illa propter suas
virtutes dignissimus, et ab Augusta domo nostra
minime alienus esset, rem facit uti Ecclesiae Dei uti-
lem ac salutarem, sic nobis optatissimum. Estque
quod majorem in modum laetemur, quod nobis atque
orbi Christiano plurimum gratulemur, apud quem in-
ea de purpuratis Patrum senatu laus et opinio
hac electione magis ac magis confirmabitur, quod
actiones ipsorum et consilia divini spiritus in-
stinctu et afflatu administrentur, gubernentur.
Ut vero V. R. quam inter primarios nostros
habemus quocunque tempore gratam nostram erga
se voluntatem experiatur, benignam animi propen-
sione operam dabimus. Qui etc. Pragae 14 Jan. 1591.

189 Cardinali Spinolae gratia
pro labore conclavis.

Rudolphus etc.

R.me Etsi optatum de erecto ad summi Pontifi-
catus apicem Cardinale Cremonensi nuncium ab
oratore nostro per peculiarem cursorem accepe-
ramus, idem tamen nobis a P.te V. R. nunciari, cuius
singularem in ea electione operam et sollicitudinem
extitisse accepimus, nobis quam gratissimum fuit.
Quod ut his nostris literis testaremur, nobis quam
gratissime statim faciendum duximus. Gaudemus itaque
plurimum, talem Ecclesiae obtigisse summum Pasto-
rem, qui ab Augusta domo nostra minime ali-
enus, vota nobiscum, ad procurandam Reipubl. Chri-
stianae bonum communia sit habiturus. Cuius auspica-
tissimae electionis partem non minimam P. V. R.ma ac-
ceptum ferentes de ea ipsam plurimum laudamus, ad
alia porro negotia nostra quod attinet, eaque P. V. R.

perpetuò esse curæ, quâ nos fiduciâ freti nihil his addimus,
sed ipsius benevolentiæ, quæcunque ad nos ullo modo perti-
nere putaverit benignè committimus et commendamus,
Datum Prag: 14. Jan: 1591.

Cardinali Lancilotto et in similem 190)
Mendocæ. Rudolphus etc.

Rme etc. Quod in Apostolico Senatu nuper instituta
de novo Pontifice eligendo consultatione gravissimâ
P. V. Rma id sibi sincero studio propositum habuit,
ut in ista sublimi dignitatis sede is collocaretur, qui
eâ dignam pietatem ac virtutem adferret, quibus vo-
luntate nobis et Augustæ domui nostræ coniunctus es-
set, magnoperè gaudemus, ac de eo P. V. Rmæ plurimum
laudamus. Quod verò his ipsis aliisque occasionibus
se nostri adeò studiosam ostendit, quod aliorum testi-
monio non sine voluptate accepimus, Nobis sanè quàm
gratissimum fuit, cui omnem vicissim grati ac me-
moris animi propensionem benignè pollicemur etc. Prag:
14. Jan: 1591.

Oratori Romano de intro- 191)
ducendo Joanne de Medi-
cis in capellam re-
spondetur.
Rudolphus etc.

Nobilis etc. Literas tuas binas 29. Decembr. et 6. Jan:
scriptas quibus diligenter Nobis ac minutim ea perscri-
bis, quæ isthic se tibi concertatio de introducendis
Oratores in capellam Pontificiam Principibus obtu-
lerit, rectè accepimus, quæ iis recensentur, integrè plè-
nèque intelleximus. Cùm autem ad dignitatem et existi-
mationem Cæsaream, quam nos tueri æquum est, hanc rem
magnoperè pertinere judicaverimus, maturo eam con-
silio, ut de mente nostra tibi quid certi responderemus, trac-
tavimus et expendimus. Discussis igitur considerationis
omnibus comperimus, te juxta mentem nostram, non solùm
prudenter ac dextrè, sed et fortiter fideliterque pro
dignitate nostra, quam generatim tibi in omnibus de-
fendendam injunximus, ea egisse dixisse, quæcunque speciatim
in hoc casu, si consulti fuissemus, præmonere, tibique
mandare potuissemus, voluissemus, nec in iis quic-
quam esse, in quo nobis non abundè satis feceris.